ſionẽ. incipiť Introitus. ꝛ ꝓ-
cediť in miſſa more conſueto
vſq; ad illũ locu; canõis: vbi
diciť. **Per quẽ hec omnia dñe
ſemꝑ bona creas.** excluſiue.
Priuſq̃ ergo pontifex verba
ipſa dicat facta reuerentia ſa-
cramẽto in altari conſecrato:
retrahit ſe ad partẽ Ep̃le alta
ris vbi ſuꝑ aliũ calicẽ vacuũ
abluit digitos ꝛ ad purifica-
toriũ extergit: ꝛ ablutio vſq;
poſt cõionẽ pontificis reſer-
uať. tum facta iterũ ſacramẽ-
to reuerentia deſcẽdit primũ
gradũ altaris: ꝛ ibidẽ accepta
mitra vadit ad dictã ſedẽ ſibi
paratã in p̃ſbyterio ab oppo-
ſito altaris: ꝛ ſedet ſuꝑ ipſa;:
verſa facie ad altare. dictam
menſa; ante ſe habens. circũ-
ſtantib⁹ miniſtris. Sacerdo-
tib⁹ ꝛ alijs paratis p̃dictis in
ſuis locis manẽtibus. Tunc
Archidiacon⁹ ſtans apud põ
tificem: dicit alta voce ĩ tono
lectionis.



**Oleum infirmorũ.** Et mor
vnus Subdiacon⁹ ex ſeptem
paratis p̃dictis cu; duobus

Acolytis hinc ⁊ inde aſſocia-
tus: vadit ad ſacriſtiã: vbi ac
cipiens ampullã olei qđ ꝑ in
firmis ↄſecrari debet: cooper
tam vt inuenit: portat eã ſini
ſtro brachio amplexatã ante
põtificẽ: vbi eã tradit ĩ mani-
bꝰ Archidiaconi plane dicẽs.
Oleum infirmorum. Archidia-
conus pſentat illam põtifici
ad bñdicendũ idẽ dicẽs: col-
locans eã corã eo ſupra men-
ſam ſupradictaʒ. Põtifex ſur-
gens cũ mitra: exorcizat ⁊ be-
nedicit illud voce ſũmiſſa: ita
tñ q̄ a circũaſtãtibꝰ ſacerdo-
tibꝰ audiri poſſit: abſolute di-
cens.
Exorcizo te imũdiſſime ſpiritꝰ: oĩſqʒ in-
curſio ſathane: ⁊ oẽ fantaſma
Jn noĩe pa ✠ tris ⁊ fi ✠ lij et
ſpiritꝰ ✠ ſancti. vt recedas ab
hoc oleo: vt poſſit effici vn-
ctio ſpiritalis ad corroborã-
dum templũ dei viui: vt in eo
poſſit ſpũs ſanctꝰ habitare ꝑ
nomẽ dei pr̄is oĩpotẽtis et ꝑ
nomẽ dilectiſſimi filij eiꝰ do-
mini noſtri Jeſu xp̄i. Deinde
depoſita mitra bñdicit ipſuʒ
oleum dicens eadẽ voce. ℣.
Dominus vobiſcum. ℟.
Et cũ ſpiritu tuo. Oremus.
Emitte queſumꝰ dñe ſpi-
ritũ ſanctũ paraclitum
de celis: in hanc pinguedineʒ
oliue: quã de viridi ligno ꝓ-
ducere dignatꝰ es: ad refectio
nem mẽtis ⁊ corporis: vt tua
ſancta bene ✠ dictione ſit oĩ
hoc vnguento celeſtis medi-
cine puncto: tutamen mẽtis
et corpis: ad euacuãdos oẽs
dolores: oĩnes infirmitates:
omnẽqʒ egritudinẽ mentis ⁊
corporis vnde vnxiſti ſacer-
dotes: reges: ꝓphetas ⁊ mar
tyres tuos. ſit chriſma tuum
ꝑfectũ nobis dñe a te benedi
ctum: ꝑmanens in viſceribꝰ
noſtris. in noĩe dñi noſtri Je
ſu xp̄i. ℟. Amẽ. His expletis
oleũ ipſum eo modo quo ap-
portatũ fuit: ad ſacrariuʒ re-
portatur: ⁊ diligentiſſime cõſer
uatur. Tũc pontifex reaſſũp-
ta mitra ſedet et lauat manꝰ:
tum ſurgit et cũ mitra cũ mi-
niſtris ſuis: ceteris ſacerdoti
bus et alijs paratis in locis
ſuis manentibꝰ: accedit vſqʒ
ad gradũ altaris: vbi depoſi-
ta mitra: facit reuerentiam ſa
cramẽto. tum aſcẽdit ad alta-
re: ⁊ incipiẽs vbi dimiſerat vi
delicet. Per quem hec oĩa ⁊c.
procedit in miſſa vſqʒ ad cõ-
munionẽ corporis ⁊ ſanguinis
incluſiue. quã põtifex ipſe ſo
lus ſumit. Quo facto Diaco-
nus ponit hoſtiã conſecratã
pro craſtina die reſeruandã. ĩ
calicẽ ſeu vaſculuʒ ad hoc pa-
ratum: et reuerenter collocat

ipſam ſuper mediuꝫ altaris.
Deinde pontifex poſtq̃ȝ ſe cō
municauerit ⁊ purificauerit:
ac etiā p̄rimaȝ digitorū ablu-
tionem ex alio calice ſumpſe-
rit: facta reuerentia ſacramen
to in altari poſito: in ſecūdo
gradu altaris mitraȝ accipit:
⁊ redit ad p̄dictam ſedem cuȝ
miniſtris ſuis ⁊ alijs aſſiſtē-
tibus eo ordine quo p̄miſſuȝ
eſt: ⁊ ibi cuȝ mitra ſedet. Tūc
Archidiaconꝰ ſtans apud pō
tificem dicit alta voce ī tono
lectionis.



Oleum ad ſanctū chriſma.
Et mox eadē voce ⁊ tono ſub
iungit.



Oleum cathecuminorū.
Quo dicto duodecim p̄sbyte
ri: ſeptē Diaconi: ⁊ ſeptē Sub
diaconi parati predicti ⁊ alij
miniſtri quot neceſſarij fue-
rint eo ordine quo venerunt
pergūt ad ſacrariū ad deferē-
dum cuȝ oī decore ⁊ reuerē-
tia: oleum chriſmale ⁊ oleum
cathecuminoꝝ: miniſtris ta-
men pontificis cum eo rema
nentibꝰ: qui oblato ſibi thu-
ribulo imponit incenſuȝ ⁊ be
nedicit more ſolito. Incedūt
autē redeuntes ad chorū cuȝ
ampulliſ: hoc ordine. Primo
Thuriferarius cū thuribulo
fumigāte: quem ſequit̄ Sub-
diaconus Crucē deferēs me-
dius inter duos Acolytos cū
cereis ardentibꝰ. Tū duo cā-
tores cantātes verſus. O re-
demptor. vt infra habentur.
quos ſequūt̄ bini ⁊ bini Sub
diaconi ⁊ Diaconi. deīde vnꝰ
Subdiaconus portās vaſcu
lum cū balſamo. tū duo Dia-
coni ampullas olei ad ſanctū
chriſma: ⁊ ꝓ oleo cathecumi-
norum portantes: qui habent
mappulas mundas ſiue vela
ad collum: quorū extremita-
tes ante pectus dependēt: te-
nentes ipſas ampullas ſini-
ſtris brachijs āplexatas: ſeu
circūdatas: ⁊ extremitatibuſ
mappularū: que a dextris de
pendent inuolutas ⁊ cooper
tas: ita tamē vt a medio ſup̄
videri poſſint. Diaconus au
tem qui oleuȝ ꝓ ſancto chriſ
mate portat a dextris vadit.
hos ſequūt̄ duodecim ſacer-
dotes p̄dicti bini ⁊ bini: qui-
bus ſic a ſacriſtia verſus pō-
tificem procedentibꝰ duo cā-
tores predicti cantāt verſus
ſequentes.

O redemptoꝛ ſume carmen temet concinentium.

Et choꝛus idem replicat. Deinde dicti duo cantoꝛes pꝛoſequunt̃ ſequentes verſus.

Audi iudex moꝛtuoꝛũ. vna ſpes credentium. audi voces pꝛoferentiũ donum pa cis pꝛemiũ. Choꝛus repetit. V.

O redemptoꝛ. Deinde dicti duo cantoꝛes ꝓſequunt̃. V.

Arboꝛ feta alma luce hoc ſacrãdũ ꝓtulit. fert hoc pꝛona pſens turba ſaluatoꝛi ſeculi.

Choꝛus repetit. V.

O redemptoꝛ. Tum illi duo cantoꝛes pꝛoſequunt̃. V.

Stãs ad aram humi ſupplex infulat⁹ põtifex. debitũ ꝑſoluit om̄e cõſecrato chꝛiſmate.

Choꝛus repetit. V.



O redemptor. Deinde illi duo cantores pſequunt̄. V.



Cōſecrare tu dignare Rex p



ṗennis patrie hoc ſignū oliue



viuū contra in ra demonū. Chorus repetit.



O redemptor. Eis igit̄ ordine p̄miſſo in p̄ſbyteriū eccłie cantādo verſus p̄miſſos puenientib⁹. crux cū cādelabris ⁊ incenſo ſituant̄ prope altare iuxta cornu Epłe. Archidiaconus. Diacon⁹ ⁊ Subdiaconus miniſtrantes: ſint circa pontificē hinc ⁊ inde. Sacerdotes vero duodecim parati iuxta eos duo cornua faciūt. ſex hinc ⁊ ſex illinc vertentes faciē ad altare: a laterib⁹ aſſiſtentes pontifici tanq̄z ei⁹ teſtes: et miniſterij ſacri chriſmatis cooperatores. Diaconi vero poſt tergū pōtificis ⁊ poſt eos Subdiaconi parati ſtant tāq̄z miniſtri ⁊ inſpectores. Interim Diaconi ampullas olei chriſmalis: et olei cathecuminoꝝ portantes: et Subdiacon⁹ cum balſamo ſe firmāt: quouſq̄z oēs p̄dicti i ſuis locis fuerint ordinati. Oībus itaq̄z diſpoſitis Diaconus ampullā olei chriſmalis ferēs: venit ante pontificē ⁊ Archidiacon⁹ illā inuolutā cū mappula quā diacon⁹ ipſe circa collū portauit de manu eius accipiēs: eā ſic inuolutā oſtēdit pōtifici ſedenti: ⁊ illā ſup menſam ante Epm̄ poſitam collocat diligenter: alio diacono āpullaꝫ aliā aſſidue īter brachia tenēte. Tūc Subdiaconus vaſculū cum balſamo portans: illud tradit Archidiacono q balſamū pontifici ſimiliter oſtendēs: ipſum ſup̄ menſā collocat. Tū pontifex depoſita mitra ſurgit: ⁊ verſus ad altare: habēs an̄ ſe ſup menſā ampullā olei chriſmalis ⁊ balſamū: ante oīa benedicit ipſū balſamū: dicēs.

¶ Benedictio Balſami. V.

Dominus vobiſcum. R.

Et cū ſpiritu tuo. Oremus.

Deus miniſteriorum cele
ſtium ⁊ virtutũ omniũ
preparator: noſtraſ queſum⁹
preces exaudi: ⁊ hãc odorife
ram ſicci corticis lachrymaꝫ:
que felicis virge ꝓfluendo ſu
dorem ſacerdotali nos opi
mat vnguento: acceptabilem
tuis p̄ſta myſterijs: ⁊ cõceſſa
benedictione ſancti ✠ fica. ꝑ
dominũ ⁊c. ℟. Amen.

Alia oratio. Oremus.

Creaturarũ omniuꝫ dñe
procreator: q̄ ꝑ Moy
ſen famulũ tuũ ꝑmiſtis her
bis: aromatum fieri p̄cepiſti
ſanctificationẽ vnguenti: cle
mentiam tuaꝫ ſuppliciter de
poſcimus: vt huic vnguento
qđ radix ꝓduxit ſtirpea: ſpi
ritualem gratiam largiendo:
plenitudinẽ ſancti ✠ ficatio
nis infundas. Sit nobis do
mine fidei hilaritate conditũ
ſit ſacerdotalis vnguẽti chriſ
ma perpetuũ: ſit ad celeſte ve
xillum impreſſione digniſſi
mum: vt quicũqꝫ baptiſmate
ſacro renati: iſto fuerit liquo
re peruncti: corporũ atqꝫ ani
marũ benedictioneꝫ pleniſſi
mam conſequant̄: ⁊ illi beate
fidei collato munere perhẽni
ter amplientur. Per dñm ⁊c.
℟. Amen. Deinde accepta mi
tra ſtans adhuc põtifex miſ
cet ſup. paterã: vel in aliquo
paruo vaſculo balſamũ cum
modico olei: de ãpulla chriſ
mali ſumpti dicens.

Oremus dominũ noſtrũ
omnipotentẽ: qui incõ
prehenſibilem filij ſui: ſibiqꝫ
coeterni: diuinitatẽ mirabili
diſpoſitione vere humanita
ti inſeparabiliter cõiunxit: et
cooperante gratia ſpirit⁹ ſan
cti: oleo exultationis pre par
ticipibus ſuis liniuit: vt ho
mo fraude diaboli perditus
gemina ⁊ ſingulari conſtans
materia ꝑhenni redderet̄: de
qua exciderat hereditati: qua
tenus hos ex diuerſis creatu
rarũ ſpeciebus liquores crea
tos: ſancte trinitatis ꝑfectio
ne bene ✠ dicat: ⁊ benedicen
do ſancti ✠ ficet: concedatqꝫ
vt ſimul permixti vnũ fiant:
et quicũqꝫ exterius inde per
unctus fuerit: ita interius li
niatur quod omnib⁹ ſordib⁹
corporalis materie carens: ſe
participem regni celeſtis effi
ci gratuletur. Per eundẽ do
minũ noſtruꝫ Jeſum xp̄m fi
lium ſuũ: qui cum eo viuit et
regnat i vnitate ſpiritus ſan
cti deus: per omnia ſecula ſe
culorũ. Quo facto ſedet pon
tifex retẽta mitra: ⁊ halat pla
ne tertio in modũ crucis ſuꝑ
os ampulle chriſmalis iuolu
te: ante eũ ſuꝑ menſaꝫ ſtãtis.

Deinde duodecim ſacerdotes parati: qui iuxta eum ſunt: ordinatim facientes reuerentiã ſacramento in altari poſito ⁊ Pontifici: ad menſam p̃dictã accedunt: ⁊ ſtantes ante eam ſinguli ſucceſſiue eodem modo vt pontifex fecerat: in modum crucis ſuper os ampulle p̃dicte halant. Tũ reuerentiam vt ſupra faciẽtes: ad loca ſua reuertũtur. Quo facto ſurgit pontifex ⁊ ſtans cũ mitra legendo dicit exorciſmuz chriſmalem: abſolute dicẽs.

¶ Benedictio chriſmatis.

Exorcizo te creatura olei: per deũ patrẽ omnipotentem: qui fecit celum ⁊ terram: mare: ⁊ omnia que in eis ſunt: vt omnis virtus aduerſarij: omnis exercitus diaboli: omniſq; incurſio: et omne fantaſma ſathane eradicetur ⁊ effugetur a te: vt fias omnibus qui ex te vngẽdi ſunt: in adoptionem filiorũ per ſpiritum ſanctũ. In nomie dei pa ✠ tris omnipotẽtis: ⁊ in charitate Jeſu ✠ xp̃i filij eius domini noſtri: qui cũ eo viuit ⁊ regnat deus: in vnitate eiuſdem ſpiritus ſancti. Deinde depoſita Mitra extenſis manibus ante pectus dicit Prefationem.




vbiqȝ gratias agere· Domīe
ſancte pater oīpotens eterne
deus· Qui in principio inter
cetera bonitatis et pietatis
tue munera· terraȝ ꝓducere
fructifera ligna iuſſiſti· inter
que hui⁹ pinguiſſimi liquor⁹
miniſtre oliue naſcerent̄· q̄rū


fruct⁹ ſacro chriſmati ꝺſerui-
rēt· Nā ⁊ Dauid ꝓphetico ſpi
ritu gratie tue ſacmēta p̄noſ-
cēs· vult⁹ nr̄os in oleo exila-
rādos eſſe cātauit· Et cū mū-
di crimīa diluuio quōdā ex-
piarent̄ effuſo· ſimilitudinē fu
turi muneris colūba demon


ſtrãs ꝑ oliue ramũ pacẽ terre
redditã nũciauit· Qđ i nouiſ
ſimis tꝑib⁹ manifeſtis eſt ef-
fectib⁹ declaratuꝫ cũ baptiſ-
matis aquis omniũ criminũ
cõmiſſa delẽtib⁹· hec olei vn-
ctio vult⁹ nr̃os iocũdos effici
at ac ſerenos· Inde etiã Moy
ſi famulo tuo mãdatũ dedi-
ſti· vt Aaron fratrẽ ſuũ prius
aqua lotũ ꝑ infuſionẽ huius
vnguẽti cõſtitueret ſacerdotẽ·
Acceſſit ad hoc amplioꝛ ho-
noꝛ cũ filius tuus Jeſus xp̄s
domin⁹ nr̃ lauari ſe a Johãne
vndis ioꝛdanicis exegiſſet·


vt ſpiritu ſancto in colũbe
ſimilitudine deſuper miſſo.
vnigenitum tuũ in quo tibi
optime cõplacuiſſe teſtimo
nio ſubſequẽtis vocis oſten-
deres. ⁊ hoc illud eſſe manife
ſtiſſime cõprobares. qḋ oleo
leticie pꝛe conſoꝛtibus ſuis
vngenduʒ Dauid voce ꝓphe-
tica ceciniſſet. Te igitur pꝛe-
camur domine ſancte pater
omnipotẽs eterne deus. per
eundẽ dominũ noſtrũ Jeſuʒ
xp̃m filiuʒ tuũ. vt hui⁹ crea-
ture pinguedineʒ ſancti ✠ fi-
care tua benedictione digne-


ris· et ſancti ſpirit⁹ ei admiſ-
cere virtutē· cooperante chꝛi
ſti filij tui potentia·a cui⁹ no
mine ſancto Chꝛiſma nomen
accepit· vnde vnxiſti ſacer-
dotes· Reges· Pꝛophetas et
martyres tuos·vt ſpiritua-
lis lauacri baptiſmo renouā
dis·creaturam chꝛiſmatis in
ſacramentū perfecte ſalutis·
viteqꝫ confirmes·vt ſancti-
ficatione vnctionis infuſa·
coꝛruptione pꝛime natiuita-
tis abſoꝛpta· ſanctū vniuſcu
iuſqꝫ tēplū· acceptabili vite
inocētie odoꝛe redoleſcat·vt



ſecundū cōſtitutionis tue ſa



cramentū. Regio ⁊ ſacerdota



li: ꝓpheticoq; honore ꝑfuſi



veſtimēto incorrupti mune-



ris induant̄. vt ſit his q̄ rena



ti fuerit ex aq̄ et ſpiritu ſctō



chriſma ſalutis. eoſq; eterne



vite participes: ⁊ celeſtis reg



ni faciat eſſe cōſortes.

Quod ſequit̄ dicit plane legēdo: ita tamē ꝙ a circūaſtantibus audiri poſſit. Per eundē dn̄m noſtrū ieſum xp̄m filiū tuū: qui tecū viuit et regnat ī vnitate eiuſdem ſpirit⁹ ſancti deus: per oīa ſecula ſeculorū ℟. Amē. Prefatione hmōi finita pontifex balſamū cū illo modico oleo ex āpulla chriſmali ſumpto mixtū cōmiſcet ſctō chriſmati reponēs ipſuz in ampullā chriſmalē ⁊ dicēs

Hec cōmixtio liquorū fiat omnib⁹ ex ea punctis ꝓpitiatio ⁊ cuſtodia ſalutaris ī ſecula ſeculoꝝ. Tum diaconus qui ampullā chriſmalez d̄ ſacriſtia portauit: deponit mappulā ſiue velū de ipā ampulla: dimiſſa ei ſua ſerica veſte alba: quam antea habebat ⁊ pontifex capite inclinato ſalutat chriſma dicens.



Aue ſanctum Chriſma.

Et hoc ſecūdo et tertio facit: ſemꝑ altius dicēdo: qd̄ poſtq̄z tertio dixerit: oſculatur labiū ampulle: quo facto ſedet

pontifex: ⁊ accipit mitrã. Tũ
ſinguli duodecim ſacerdotes
parati p̄dicti accedũt ſucceſſi-
ue per ordinẽ ad menſam ſu-
pra quam poſita eſt ampulla
chriſmatis. et factis reueren-
tijs ſacramẽto in altari poſi-
to ⁊ pontifici: tertio in varia
diſtantia genuflectũt coram
ampulla: qualibet vice ſemꝑ
altius dicẽdo ĩ tono p̄dicto.



Aue ſanctum Chriſma.
Quo tertio dicto labium am-
pulle reuerenter oſculant̃: et
ad ſua loca reuertuntur. quo
pacto ampulla in vno latere
mẽſe p̄dicte collocat̃. Et mox
Diaconus aliã ampullã: ſuã
veſte coopertã cũ oleo cathe-
cuminorũ ferens: accedit ad
p̄ſentiã pontificis: et ampul-
lam ipſam ſine mappula quã
Diaconus ipſe circa collũ re-
tinet: tradit Archidiacono: q
illam ſuſcipiẽs: eam oſtendit
pontifici: ⁊ collocat ſuꝑ men
ſam predictã: in medio ante
pontificem: ſuꝑ quã ampul-
lam ad ſtatim: tam ipſe pon-
tifex q̃ etiã duodecim p̄ſby-
teri p̄dicti: halent: put ſupra
de ampulla chriſmatis factũ
eſt. Quo facto pontifex ſur-
gens cũ mitra: ſubmiſſa vo-
ce legẽdo abſolute exorciſmũ
olei cathecuminorũ dicit.

¶ Benedictio olei
cathecuminorũ.

Exorcizo te creatura olei:
in noĩe dei pa ✠ tris oĩ-
potẽtis. ⁊ in noĩe Jeſu ✠ xp̄i:
⁊ ſpiritus ✠ ſancti: vt hac in-
uocatione indiuidue trinita-
tis: atq; vnius virtute deitat̃
om̄is nequiſſima virtus ad-
uerſarij: omnis ĩueterata ma-
licia diaboli: omnis violenta
incurſio: omne cõfuſum ⁊ ce-
cum fantaſma eradicet̃ ⁊ effu-
getur ⁊ diſcedat a diuinis ſa-
cramẽtis purificata in adop-
tionem carnis ⁊ ſpiritus. his
qui ex his vngendi ſũt: in re-
miſſionem omniũ peccatorũ
vt efficiant̃ eorũ corpora: ad
omnẽ gratiam ſpiritualẽ acci-
piendã ſanctificata. Per eun-
dem dominũ noſtrũ Jeſum
xp̄m filiũ ſuũ: qui cum eo et
eodem ſpiritu ſancto viuit ⁊
regnat deus: per omnia ſecu-
la ſeculoꝝ. Deinde depoſita
mitra pontifex ſtans benedi-
cit dictũ oleũ cathecumino-
rũ eadem voce dicens. ℣.
Dominus vobiſcum. ℟.
Et cũ ſpiritu tuo. Oremus.
Deus incrementorũ om-
niũ: et profectuũ ſpiri-
tualium remunerator: qui in

virtute ſpiritus ſancti: imbe-
cillarum mentiuꝫ rudimenta
confirmas: te oꝛamus domi
ne: vt emittere digneris tuaꝫ
bene ✠ dictionem ſuper hoc
oleum: ⁊ vẽturis ad beate re-
generatiõis lauacrũ: tribuas
per vnctionem huius creatu
re purgationeꝫ mentis ⁊ coꝛ-
poꝛis: vt ſi que illis aduerſã-
tiũ ſpirituũ inheſere reliquie
vel macule: ad tactum ſancti-
ficati olei hui⁹ abſcedãt. nul-
lus ſpiritalibus nequitijs lo
cus: nulla refugij ſit facultas
nulla inſidiantibus malis la-
tendi licentia relinquatᷣ. Sed
venientibus ad fidem ſeruis
tuis: ⁊ ſancti ſpiritus tui ope
ratione mũdãdis: ſit vnctio-
nis huius ꝑparatio vtilis ad
ſalutẽ: quam etiã per celeſtis
regenerationis natiuitatẽ: in
ſacramẽto ſunt baptiſmatis
adepturi. Per dominum no-
ſtrum Jeſum xp̄m filium tuũ
qui venturus eſt iudicare vi-
uos ⁊ moꝛtuos: et ſeculũ per
ignem. ℟ Amen. Deinde põ-
tifex ⁊ ſucceſſiue duodecim ſa
cerdotes p̄dicti reuerenter ſa
lutant oleum ipſum: dicẽtes
tertio in tono lectionis.



Aue ſanctum oleum.

Et poſtq̃ꝫ tertio id fecerint:
oſculantᷣ os ipſius ampulle:
pꝛout ſupꝛa de chꝛiſmate po-
ſitum eſt. His itaqꝫ peractis
ambe ampulle per dictos du
os Diaconos eo oꝛdine ⁊ de-
coꝛe quo delate fuerãt: ad ſa-
crarium ſiue ſacriſtiam ꝓceſ-
ſionaliter repoꝛtentur. Inte-
rim dum repoꝛtanᷣ duo pꝛe-
miſſi cantoꝛes cantant hos
verſus.



Ut nouetᷣ ſexus omnis vn-



ctione chꝛiſmatis: vt ſanetur



ſauciata dignitatis gloꝛia.
Choꝛus replicat totum. ℣.



O redemptoꝛ. Tum dicti
duo cantoꝛes ꝓſequunᷣ. ℣.



Uota mẽte ſacro fonte aufu-

gant̄ crimina· iūcta fronte

ſacro ſctā influūt chriſmata·

Chorus replicat· ℣·

O redemptor· Deinde dicti duo cantores, pſequunt̄· ℣·

Corde natus ex parentis al-

uum iplens virginis pāde

vitam claude mortem· conſe-

crato chriſmate·

Chorus replicat· ℣·

O redemptor· Quo replicato dicti duo cantores proſequuntur verſum·

Sit hec dies feſta nobis ſecu-

lorū ſeculis· ſit ſacrata vera

laude· nec ſeneſcat tempore·

Chorus replicat· ℣·

O redemptor· Uetus autē chriſma et oleum cathecuminorū ac infirmorum: ſi quod remāſerat: in ampullis ponitur i lampadibus eccleſie ante ſacramentū vt comburat̄· Reliquū autē quod eſt i pixidibus ſiue capſulis cū bombice igni comburit̄· et nouū deinde cū noua bombice in pixidibus ſiue capſulis ipo-

nitur. Interim dũ chriſma et oleum cathecuminorũ ad ſacriſtiam portant: pontifex ſedens cum mitra lauat man9. Deinde redit ad altare et proſequit miſſam: vt in miſſali habetur. et dicto Placeat. dat benedictionẽ. et denunciant indulgentie per eũ cõceſſe: quibus denunciatis Pontifex ſignat altare dicẽs Euangeliũ ſancti Johannis: et accedit ad faldiſtoriũ vbi ſacras veſtes deponit vſq; ad ſtolam: quã et omnia alia paramenta que ſub ipſa ſtola habet: retinet: et deſup pluuiale violatiũ accipit. Diaconus vero qui põtifici in altari miniſtrauit: ſacramentũ p craſtina die conſecratũ: reponit ad locũ cõuenientẽ ad hoc ordinatũ. Interim parant per Sacriſtã: aut alium ad quẽ ſpectat: in loco cõuenienti et cõſueto: p mandato fiendo. Credentia cum mappa cõgruenti. ſup quam ponunt duo aut tria bacilia: cum totidẽ bucalibus. vnuz bacile cũ tredecim mantilib9 plicatis: ſi pauperib9 lauãdi ſunt pedes. Alioquin ſi canonicis cum totidez mantilib9 quot ſũt canonici. Aliud bacile cũ pecunijs: pauperibus lotis donãdis: in mõticulis ſeparatim poſitis. Lintheuz pontifici loturo cingendum Vas aque calide ad ſufficientiam. Vas aque frigide etiam ad ſufficientiã. Flores et herbe odorifere pro lauãdis. Bacile cum bucali et mantili pro lotione manuuz pontificis. Thuribulũ cuz igne Nauicella et incenſo. Liber Euãgeliorum. Liber pro pontifice ad dicenduz orationem poſt lotionem. Duo candelabra cuz cereis ardentibus. Pulpitus pro Euangelio decantando. Sedilia ordinata pro lauandis. Faldiſtoriũ p pontifice Quibus omnibus paratis: et miſſa cũ veſperis completis. Põtifex paratus Amictu: alba: cingulo: ſtola et pluuiali violatijs: ac Mitra ſimplici: cuz canonicis et clero eccleſie ſue: ac Diacono et Subdiacono in eorũ habitu: in quo in miſſa pontifici ſeruierũt ei aſſiſtentib9: procedit ad locum capitularẽ eccleſie: vel aliũ cõſuetum. In quo lauandi: ſiue ſint. xiij. pauperes: ſiue canonici eccleſie: put ĩ aliquibus locis ſeruat: ſtant apud ſedilia ſibi parata. Pontifex autẽ in faldiſtorio in conuenienti loco ibidem ſibi ordinato ſedet. Tũ Diaconus accedit cũ Thuriferario ante pontificẽ qui imponit incenſum more

cõſueto· deinde idem Diaconus coram pontifice genuflexus: medius inter duos ceroferarios capitibus inclinatis ſtantes: petit benedictionez: qua obtenta: vadit ad locum vbi Euangeliũ eſt dicturus· precedentibus Thuriferario Ceroferarijs et Subdiacono in eodez loco dicens: ſignãs: ⁊ thurificans more cõſueto· Euangelium ſm Johannẽ·

Ante diez feſtũ paſce: ſciẽs Jheſus quia venit hora eius ⁊c· vt in miſſali· Interim pontifex ſtat ſine mitra verſus ad Diaconũ cantantẽ· Finito Euãgelio· Subdiaconꝰ portat librum apertum pontifici: qui oſculatur illũ: ⁊ incenſatur more cõſueto· Tum cantores incipiũt ⁊ pſequuntur Antiphonam·

Mandatum nouum do vobis ⁊c· et alia prout in miſſali habenᷓ· Pontifex vero depoſito pluuiali precingitur lintheo mundo: ⁊ accepta mitra accedit ad lauãdos in ſuis ſedibꝰ ſedentes: vbi a dextris eius ſit ſcutifer· in ſiniſtra habens peluim: floribus ⁊ herbis odoriferis ornatam· ⁊ in dextra bucale cum aqua calida· Unus Capellanus bacile tenens cũ mappulis ꝓ lotis tergendis· Alius capellanus bacile tenẽs cũ pecunijs pauperibus lotis donandis· Tũ pontifex genuflexus cum mitra: lauat vnicuiqꝫ pedẽ dextrum: quem deinde mappula munda tergit: ⁊ oſculatur· et ſi lotus pauper eſt: mappulã ipſam cũ pecunijs ad voluntatem ipſiꝰ pontificis in elemoſynaz dat ipſi loto· Si vero loti ſint canonici: eis neqꝫ mappula neqꝫ pecunie dant· lotis omnibus pontifex ſurgit: reuertitur ad faldiſtoriũ ſuuz: deponiᷓ ei lintheus: ſedet cum mitra: lauat manus ⁊ tergit· tum ſurgit: imponiᷓ ſibi Pluuiale violaceũ predictum: et detecto capite: dicit voce intelligibili·

Pater noſter· qꝺ ſecrete cõplet· deinde dicit· ℣.

Et ne nos inducas in tẽptationem· ℟.

Sed libera nos a malo· ℣.

Tu mãdaſti mãdata tua dñe ℟· Cuſtodiri nimis· ℣.

Tu lauaſti pedes diſcipulorum tuoꝝ· ℟· Opera manuũ tuarũ ne deſpicias· ℣.

Dñe exaudi orõnẽ meã· ℟·

Et clamor meꝰ ad te vẽiat· ℣.

Dominus vobiſcum· ℟·

Et cũ ſpiritu tuo· Oremus·

Adeſto dñe q̃ſumꝰ officio ſeruitutis nr̃e: ⁊ quia tu diſcipulis tuis pedes lauare

dignat⁹ es: ne deſpicias opera manuū tuaꝝ que nobis retinenda mādaſti: vt ſicut hic a nobis exterioꝛa abluunẗ inquinamēta: ſic a te omniū noſtrum interioꝛa lauenẗ peccata: qđ ipſe pſtare digneris: q viuis ꝛ regnas deus: per oīa ſecula ſeculoꝛum. ℞. Amen. Quo facto oēs diſcedunt.

¶ Oꝛdo ad Conciliū pꝛouinciale ſeu Synodū celebꝛādū.

Conciliū pꝛouinciale ſeu Synodus celebꝛaẗ hoc modo. Sacerdotes ꝛ clerici vniuerſi qui ad Concilium pꝛouinciale ſeu Synoduꝫ de iure vel conſuetudine venire teneneẗ. cōueniunt in ciuitate vel alio loco pꝛout pontifex oꝛdinauerit. Prima autē die Cōcilij ſeu Synodi: mane cōueniūt in eccleſia ī qua debet Conciliuꝫ ſeu Synodus celebꝛari: vbi pontifex miſſaꝫ audit: qua finita paraẗ faldiſtoriū ante mediuꝫ altaris iuxta inferioꝛē gradum per quē ad altare aſcendiẗ: ꝛ alia ſedes in plano altaris. poterit tñ faldiſtoꝛiuꝫ ſuo tpe loco ſecūde ſedis cū tēpus erit poni. Pontifex vero Amictu: ſtola: pluuiali rubeis: ꝛ mitra pꝛecioſa induit: quib⁹ paratus: baculum paſtoꝛalē manū ferens: accedit coꝛaꝫ altari. Diacono ꝛ Subdiacono patis rubeis: ſeu tēpoꝛi cōuenientib⁹ oꝛnamentis: ac ſi in Miſſa ſeruire deberēt: ipſū hinc ꝛ inde aſſociantib⁹. et ibi ante faldiſtoriū ſibi paratum genuflexus depoſita Mitra incipit ſcola pſequente Antiphonam.




Ps. Saluū me fac deus qm̄ intrauerunt aque: vſqꝫ ad animam meam.

Infixus ſum in limo profun
di: ⁊ nō eſt ſubſtantia.
Ueni in altitudinem maris:
⁊ tempeſtas dimerſit me.
Laboraui clamās rauce facte
ſūt fauces mee: defecerūt ocu
li mei dū ſpero in deū meū.
Multiplicati ſūt ſup capillos
capitis mei: q oderūt me ḡtis
Confortati ſunt qui pſecuti
ſūt me inimici mei iiuſte: que
nō rapui tunc exoluebam.
Deus tu ſcis īſipientiā meā:
⁊ delicta mea a te nō ſunt ab
ſcondita.
Nō erubeſcāt in me qui expe
ctāt te dñe: dñe virtutum.
Non cōfundant̄ ſup me: qui
querunt te deus iſrael.
Quoniā propter te ſuſtinui
obprobrium: operuit confu
ſio faciem meam.
Extraneus factus ſum fra
tribus meis: ⁊ peregrinus fi
lijs matris mee.
Quoniaꝫ zelus dom⁹ tue co
medit me: ⁊ obprobria expro
brātiū tibi ceciderūt ſup me.
Et operui in ieiunio animaꝫ
meam: ⁊ factum eſt in obpro
brium mihi.
Et poſui veſtimentū meū ci
liciū: ⁊ fact⁹ ſū illis ī pabolā.
Aduerſum me loquebant̄ q
ſedebāt in porta: ⁊ in me pſal
lebant qui bibebant vinū.
Ego vero orationeꝫ meā ad
te dñe: tēpus beneplaciti de⁹
In multitudine miſericordie
tue exaudi me: in veritate ſa
lutis tue.
Eripe me de luto vt nō infi
gar: libera me ab his qui ode
rūt me: ⁊ de pfūdis aquarū.
Nō me demergat tempeſtas
aque: neqꝫ abſorbeat me pro
fundum: neqꝫ vrgeat ſup me
puteus os ſuum.
Exaudi me dñe qm̄ benigna
ē miſericordia tua: ſcdm mul
titudinem miſerationū tuaꝝ
reſpice in me.
Et ne auertas faciem tuam a
puero tuo: quoniaꝫ tribulor
velociter exaudi me.
Intende aīe mee ⁊ libera eam
pter īimicos meos eripe me
Tu ſcis improperiuꝫ meum
⁊ confuſionem meam: ⁊ reue
rentiam meam.
In conſpectu tuo ſunt oēs q
tribulāt me: īproperiuꝫ expe
ctauit cor meū ⁊ miſeriam.
Et ſuſtinui qui ſimul cōtri
ſtaret̄ ⁊ nō fuit: ⁊ qui cōſola
retur ⁊ nō inueni.
Et dederūt in eſcā meā fel: ⁊
ī ſiti mea potauerūt me aceto
Fiat menſa eoꝝ corā ipſis in
laqueū: ⁊ in retributiones ⁊ ī
ſcandalum.
Obſcurentur oculi eoruꝫ ne
videant: ⁊ dorſum eorū ſem
per incurua.

Effunde ſup eos iram tuã: ⁊ furoꝛ ire tue cõphendat eos.
Fiat habitatio eoꝛum deſerta: ⁊ in tabernaculis eoꝛũ nõ ſit qui inhabitet.
Quoniã quẽ tu pcuſiſti pſecuti ſunt: ⁊ ſup doloꝛẽ vulnerum meoꝛũ addiderũt.
Appone iniquitatez ſup iniquitatem eoꝛuz: et nõ intrent in iuſticiam tuam.
Deleant̄ de libꝛo viuentiũ: ⁊ cũ iuſtis nõ ſcribant̄.
Ego ſum pauper ⁊ dolẽs: ſalus tua deus ſuſcepit me.
Laudabo nomẽ dei cũ cantico: ⁊ magnificabo eũ ĩ laude.
Et placebit deo ſup vituluz nouellum: coꝛnua pꝛoducentem ⁊ vngulas.
Videãt paupes ⁊ letent̄: querite deũ ⁊ viuet aĩa veſtra.
Qm̃ exaudiuit paupes dñs: ⁊ vinctos ſuos nõ deſpexit.
Laudent illũ celi ⁊ terra: mare ⁊ omnia reptilia in eis.
Qm̃ deus ſaluã faciet ſyon: ⁊ edificabunt̄ ciuitates iude.
Et inhabitabũt ibi: ⁊ hereditate acquirent eam.
Et ſemen ſeruoꝛũ eius poſſibit eam: ⁊ qui diligũt nomen eius habitabunt in ea.
Gloꝛia patri. Sicut erat.
Deinde repetit̄ aña. Incepto pſalmo pontifex ſedet et accipit mitrã: ſic manens quouſqꝫ pſalmus finiat̄ ⁊ aña repetatur: qua repetita: depoſita mitra ſurgit ⁊ ſtans verſuſ ad altare dicit Oꝛemus.
Omnipotens ſempiterne de⁹: q miſericoꝛdia tua nos ĩcolumes ĩ hoc loco ſpecialiter aggregaſti: mẽtes noſtras queſum⁹ paraclytus: q a te pꝛocedit illumĩet: ⁊ inducat in omnẽ ſicut tuus ꝓmiſit filius veritatez: cunctoſqꝫ in tua fide ⁊ caritate coꝛꝛoboret: vt excitati a tpali ſynodo ꝓficiam⁹ ad eterne felicitatiſ augmentuꝫ. Per eundẽ dñm noſtrũ Jeſum xp̃m filiuꝫ tuũ qui tecũ viuit ⁊ regnat in vnitate ſpiritus ſancti deus: per oĩa ſecula ſeculoꝝ. ℞. Amen.
Finita oꝛatione pontifex accepta mitra ꝓcũbit ſupꝛa faldiſtoꝛiũ pꝛedictũ. Alijs omnib⁹ genuaflectentib⁹: ⁊ cãtores dicũt Letaniã ꝓut habet̄ ſup̃ ſub oꝛdinatiõe ſubdiaconi. Et poſtq̃ꝫ dictum fuerit.
Ut obſequiuꝫ ſeruitutis noſtre tibi ratiõabile facias. Te rogamus audi nos. Põtifex ſurgit et baculum paſtoꝛalez in ſiniſtra tenẽs ſtans verſuſ ad Cõciliũ ſeu Synodũ dicit
Ut hoc p̃ſens c oncilium ſeu hanc p̃ſentẽ ſynodum viſitare: diſponere: ⁊ bene ✠ dicere digneris. ℞. Te rogamus au

di nos· pducẽs ſignuȝ cru-
cis pariter ſup oẽs: quo fa
cto iteruȝ accumbit: cantori-
bus Letaniam pficientibus:
qua dicta ſurgũt oẽs ꝛ pōti-
fex depoſita mitra dicit ſtãs
verſus ad altare· Oremꝰ· ꝛ mi
niſtri· Flectamꝰ genua leuate

Da queſumus eccleſie tue
miſericors deus: vt ſpi-
ritu ſancto congregata: ſecu-
ra tibi deuotione ſeruire me-
reatur· Per dominũ noſtruȝ
Jeſum xp̄m filium tuum qui
tecum viuit ꝛ regnat in vnita
te eiuſdeȝ ſpiritꝰ ſancti deus:
per omnia ſecula ſeculorum·
Et reſpondetur ab omnibus
Amen· Deinde pōtifex accep-
ta mitra aſcendit ad ſedẽ ſibi
paratam in plano altaris: ita
vt in ea ſedens dorſum ſuum
vertat ad altare· Et ipōnit in
cenſum in thuribulũ ꝛ bñdi-
cit more ſolito Diaconꝰ Dal-
matica indutꝰ pcedẽtibꝰ thu-
riferario ꝛ duobus cerofera-
rijs: ꝛ Subdiacono tunicella
induto tempori conuenienti
bus: ſeu rubeis· Benedictiōe
accepta a pontifice: cantat in
loco conuenienti·

Euangelium ſcd̃m Lucam·

In illo tēpore: Cōuocatis
Jeſus duodecim apoſto-
lis: dedit illis virtutẽ ꝛ pote-
ſtatem ſup oīa demonia: ꝛ vt
languores curarẽt: ꝛ miſit il-
los pdicare regnũ dei: ꝛ ſana
re infirmos: ꝛ ait ad illos· Ni
hil tuleritis ĩ via: neqȝ virgã:
neqȝ perã: neqȝ panẽ: neqȝ pe
cuniã: neqȝ duas tunicas ha-
beatis· Et in quãcũqȝ domũ
intraueritꝭ ibi manete: ꝛ inde
ne exeatis· Et quicũqȝ nō re-
ceperit vos: exeuntes de ciui
tate illa: etiã puluerẽ pedũ ve
ſtroꝝ excutite in teſtimoniũ
ſup illos· Egreſſi autẽ circui-
bãt p caſtella: euãgelizãtes et
curãtes vbiqȝ· Quo finito li-
ber Euãgelioꝝ apertꝰ p Sub-
diaconũ portat̃ pōtifici: per
eũ oſculandꝰ: q ꝛ deinde incẽ
ſat̃· Quo facto pontifex ipſe
ante ſedẽ ſuã pdictã depoſita
mitra verſus ad altare: ac alij
oẽs in locis ſuis genuflectũt
Cũ pōtifex ſic genuflexꝰ: inci
pit cantando ſcola ꝓſequen-
te hymnum·



Veni creator ſpiritus· Et di
cit totus ꝓut habet̃ ſup̄ ſub
ordinatione pbri· Finito pri
mo verſu pōtifex ſurgit: ſtãs
ꝟſus ad altare ſine mitra vſ-
qȝ ad finem hymni· ſimiliter
oẽs alij cũ pontifice ſurgũt·
Expleto hymno oẽs ſedẽt in

ſilẽtio: ⁊ pontifex accepta mi
tra ſedẽs in ſede ꝑdicta ſupra
in plano altaris poſita eos ſi
placet ĩ hãc ſentẽtiã alloquit̃

Venerabiles conſacerdo-
tes: ⁊ fratres noſtri dile
ctiſſimi. Miſſis dño precib⁹
oportet vt ea que de diuinis
officijs vel ſacris ordinibus
aut etiam de veſtris morib⁹ ⁊
neceſſitatibus eccleſiaſticis: a
nobis cõferenda ſunt: cũ cha
ritate ⁊ benignitate vnuſqſqȝ
veſtrũ ſuſcipiat: ſũmaqȝ reue
rentia quantũ valet domino
adiuuãte ꝑficiat: vel que emẽ
datione digna ſunt: omni de-
uotione vnuſquiſqȝ fideliter
ſtudeat emẽdare: ⁊ is cui for-
te quod dicet̃ aut agetur diſ-
pliceat: ſine aliquo ſcrupulo
cõtentionis: palam corã om-
nibus conferat: quaten⁹ deo
mediante: ⁊ hoc ad optimum
ſtatũ ꝑueniat: ita vt neqȝ diſ
cordans cõtentio ad ſubuer-
ſioneȝ iuſticie locũ inueniat.
Neqȝ iterũ in perquirenda ve
ritate vigor veſtri ordinis vl'
ſollicitudo tepeſcat. Poſt al-
locutionẽ huiuſmõi: vel pri⁹
ꝓut magis placuerit pontifi
ci: fit per aliquem virum do-
ctum idoneũ ſermo: in quo
tractatur de diſciplina eccle-
ſiaſtica: de diuinis myſterijs
⁊ de correctione morũ in cle-
rum: ſcđm ea que põtifici vi-
debũtur. Et mox poſt ſermo
nẽ: querele ſi que ſint audiun
tur. Poſtremo caritatiue mo
nent̃ omnes: qđ durante Cõ-
cilio ſeu Synodo ipſa hone-
ſte ſe habeant: in domib⁹ ⁊ ex
tra: ita ꝙ eorũ conuerſatio ce
teris ſit merito in exemplum
Quo facto ſurgit pontifex et
ſolẽniter oĩb⁹ bñdicit dicens
Sit nomẽ dñi benedictũ ⁊c.
more cõſueto: qua data diſce
dũt oẽs. Secũda die cõueniẽ
tib⁹ iterũ oĩbus in eccleſia: fi-
nita miſſa pontifex parat⁹ vt
ſupra ꝓcedit corã altari. Dia
cono ⁊ Subdiacono paratis
vt ſup̃ ipſum aſſociantib⁹. et
ibi in faldiſtorio ante mediũ
altar' iuxta ĩferiorẽ ğduȝ ſibi
ꝑato genuflex⁹ depoſita mi-
tra ĩchoat ſcola ꝓſeqnte añaȝ



Propitius eſto peccatis no



ſtris domĩe nequãdo di-



cant gen tes vbi eſt deus



eorum. Euouae. Ps.

Adiuua nos de⁹ ſalutaris noſter: ꝛ ꝓpter gloriā nominis tui dñe libera nos: ꝛ ꝓpitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.

Ne forte dicant in gentibus vbi eſt de⁹ eorū: ꝛ innoteſcat in nationibus coram oculis noſtris.

Ultio ſanguis ſeruoꝝ tuoꝝ q̄ effuſus eſt: introeat in ꝯſpectu tuo gemit⁹ cōpeditorū.

Secundū magnitudinē brachij tui: poſſide filios mortificatorum.

Et redde vicinis noſtr⁹ ſeptuplum in ſinu eorū: improperium ipſorum quod exprobrauerunt domine.

Nos autem populus tuus ꝛ oues paſcue tue: ꝯfitebimur tibi in ſeculum.

In generatiōe ꝛ generationē: annūciabimus laudem tuā.

Gloria patri. Sicut erat.

Deinde repetit̄ aña. Incepto pſalmo pontifex ſedet ꝛ accipit mitram: ſic manens quouſq̄ pſalmus finiatur: ꝛ antiphona repetat̄: qua repetita: depoſita mitra ſurgit: et ſtās verſus ad altare dicit Orem⁹

Mentibus noſtris queſumus dñe ſpiritum ſanctum benign⁹ infunde: quatenus in nomīe tuo collecti: ſic in cūctis teneam⁹ cū moderamine pietatis iuſticiā: vt hic a te in nullo diſſentiat voluntas noſtra: ſed ſemꝑ rationabilia meditantes: que tibi ſūt placita: ꝛ dictis exequamur ꝛ factis. Per dñm ꝛc. ℟. Amen

Alia oṙo. Oremus. ꝛ miniſtri dicūt. Flectam⁹ genua: leuate

Deus qui nos iuſticiā loqui: ꝛ que recta ſunt ꝑcipis iudicare: tribue nobis vt neq̄ iniquitas ī ore: neq̄ prauitas īueniatur in mente: vt puro cordi purior ſermo conſentiat: oſtendat̄ in opere iuſticia: neq̄ appareat dolus ī lingua: ſ; ex corde veritas ꝓferatur. Per dñm ꝛc. ℟. Amē

Poſt hec pōtifex accepta mitra: aſcendit ad planū altaris ſedens in ſede ſeu faldiſtorio ibidem ſibi parato. Tum accedit Diaconus cum thuriferario: ꝛ pontifex imponit incenſum quod primo: deinde Diacono benedicit: qui procedit ad locū conſuetū: cantat Euangeliū: ſignat ꝛ incenſat vt heri. Pontifice ante ſedem predictā ſine mitra verſus ad Diaconū ſtante.

Euangelium ſcḋm Lucam.

In illo tēpoꝛe: Deſignauit Jeſus ⁊ alios ſeptuagintaduos: et miſit illos binos ante faciem ſuā: in omnē ciuitatē ⁊ locū: quo erat ipſe venturus: ⁊ dicebat illis. Meſſis quidē multa: operarij autem pauci. Rogate ergo dominū meſſis: vt mittat operarios ī meſſem ſuā. Jte: ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos. Nolite poꝛtare ſacculū: neqꝫ peram: neqꝫ calciamēta: ⁊ neminē per viam ſalutaueritis. Jn quācūqꝫ domū intrauerit⁹: pꝛimū dicite. Pax huic domui. Et ſi ibi fuerit filius pacis: requieſcet ſup illū pax veſtra. Sin autem: ad vos reuertet᷑. Jn eadem autē domo manete: edētes ⁊ bibētes que apud illos ſunt. Dignus eſt enī operari⁹ mercede ſua. Nolite trāſire de domo in domū Et in quācūqꝫ ciuitateꝫ intraueritis: ⁊ ſuſceperit vos: māducate que apponunt᷑ vobis ⁊ curate infirmos: qui in illa ſunt: ⁊ dicite illis. Appꝛopinquabit in vos regnum dei.

Quo finito ⁊ per pontificem libꝛo oſculato: ⁊ ipſo incenſato. Pōtifex ſine mitra ante ſedem ꝑdictā: verſus ad altare ac alijs omnibus ī ſuis locis genuflexis incipit ſcola pꝛoſequente hymnum.



Veni creatoꝛ ſpiritus. Et dicitur totus ꝓut habet᷑ ſupꝛa in oꝛdinatiōe ꝑſbyteri. quem ſcola ꝓſequit᷑ vt ī pꝛimo die. Finito pꝛimo verſu pontifex ſurgit: ſtās verſus ad altare: detecto capite vſqꝫ ad finem hymni. Simili modo faciūt omnes alij. Expleto hymno: omnes ſedēt in ſilentio. Tūc pontifex ſedens in ſede ꝑdicta cum mitra. Conciliuꝫ ſeu Synodū his verbis alloquitur ſi velit.

Venerabiles ⁊ dilectiſſimi fratres noſtri: opoꝛtet vt ſicut heſterna die amonuimus benignā manſuetudinē veſtraꝫ de diuinis officijs: et ſacris altar⁊ gradib⁹: aut etiā de moꝛib⁹ veſtris ⁊ neceſſitatibus eccleſiaſticis: quecūqꝫ renouāda vel emēdanda ſūt. caritas omniuꝫ vr̄m vbicūqꝫ nouerit aliqua emendatione cōdigna: in mediū ꝓferre nō ambigat: vt ꝑ veſtre charitatis ſtudiuꝫ diuino largiente ſubſidio: ad optimū ꝑueniat ſtatum: ad laudem noīs Jeſu xp̄i domini noſtri. Poſt allocutionē huiuſmōi: vel pꝛius ſi magis placet pontifici: fit

ſermo per aliquē doctuꝫ ido neum: in quo iterū tractet̄ de diſciplina eccleſiaſtica: ⁊ alijſ quibus pontifici videbitur. Quo finito leguntur Conſtitutiones p Conciliū ſeu Synodum approbādē: quib⁹ lectis habito ſcrutinio: que placēt per patres confirmātur. His peractis pontifex ſurgit benedicit omnibus ſolemniter vt heri. deinde omnes diſcedūt.

¶ Die tertia ꝯuentione facta in eccleſia. Finita miſſa pōtifex paratus vt heri: aſſiſtentibus ſibi Diacono ⁊ Subdiacono paratis: genuflexus in faldiſtorio iuxta inferiorem gradū ante mediuꝫ altaris ſibi parato: depoſita mitra incipit ſcola pſequente añam.

Exaudi nos dn̄e: quoniā benigna ē miſericordia tua ſm̄ multitudineꝫ miſerationū tuarū reſpice nos dn̄e. Saluum me fac deus ps. quoniāītrauerūt aque: vſqꝫ ad animā meaꝫ. Et dicit̄ totus prout habetur ſupra ī primo die. Deinde repetit̄ antiphona. Incepto pſalmo pōtifex ſedet ⁊ accipit mitrā: ſic manēs quouſqꝫ pſalmus finiat̄: ⁊ aña repetat̄: qua repetita. depoſita mitra: ſurgit et ſtans verſus ad altare dicit.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne de⁹: qui ſacro verbi tui oraculo promiſiſti. vbi duo vel tres in nomine tuo cōgregati eſſent: te mediū fore. adeſto propiti⁹ cetui noſtro: et cor noſtrum illumina miſericors deus: vt a bono miſericordie tue nullaten⁹ oberremus: ſed rectum iuſticie tue tramitem in omnib⁹ teneam⁹. Per dominū noſtrum Jeſum xp̄m filium tuū ⁊c. ℟. Amen.

Alia oratio. Oremus. ⁊ miniſtri dicūt. Flectamus genua Leuate.

Deus qui populis indulgentia cōſulis: ⁊ amore dominaris: da eis ſpiritū ſapiētie tue: quib⁹ dediſti regimen diſcipline: vt de pfectu ſanctaꝝ ouium: fiant gaudia eterna paſtorū. Per dn̄m noſtrū Jeſum xp̄m filium tuuꝫ: qui tecū viuit ⁊ regnat in vnitate ſpirit⁹ ſancti deus: p oīa ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Poſt hec pōtifex accepta mitra: aſcendit ad planum altaris: ſedens in ſede ſeu in faldiſtorio ibideꝫ ſibi parato. Tū accedit Diaconus cū Thuriferario: et Pontifex imponit incenſum. Deinde benedicit Diacono: qui pcedit ad locū cōſuetum: cantat Euangeliū ſignat ⁊ incenſat vt heri. Pō

tifice ante ſedem p̄dictã ſine mitra verſus ad Diaconũ ſtã te. Euangeliũ ſm Mattheum

In illo tēpore. Reſpiciens Jeſus ĩ diſcipulos ſuos. dixit Symoni Petro. Si peccauerit ĩ te frater tuus. vade et corripe eum inter te ⁊ ipſum ſolum. Si te audierit: lucrat⁹ eris fratrem tuũ. Si autem te nõ audierit: adhibe tecum adhuc vnũ vel duos: vt in ore duorum vel triũ teſtium ſtet omne verbũ. Quod ſi nõ audierit eos: dic eccleſie. Si aũt eccleſiam nõ audierit: ſit tibi ſicut ethnicus ⁊ publicanus Amen dico vobis. Quecũq; alligaueritis ſup terrã: erũt ligata ⁊ in celo. Et quecunq; ſolueritis ſup terram: erũt ſoluta ⁊ in celo. Iterũ dico vobis: quia ſi duo ex vobis cõſenſerint ſup terrã: de omni re quãcunq; petierint: fiet illis a patre meo qui ĩ celis eſt. Ubi enĩ ſunt duo vel tres cõgregati in noĩe meo: ibi ſum in medio eorũ. Tunc accedēs ad eũ Petrus dixit. Domine quotiēs peccauerit in me frater meus et dimittam ei? vſq; ſepties? Dixit illi Jeſus. Non dico tibi ſepties: ſed vſq; ſeptuagies ſepties. Quo finito ⁊ per pontificem libro oſculato: ⁊ ipſo incenſato. Pontifex ſine mitra ante ſedem predictã verſuſ ad altare: ac alijs omnibus in locis ſuis genuflexis: incipit ſcola proſequēte hymnum.



Ueni creator ſpiritus. Et dicitur totus. prout habet̃ ſup̃ in ordinatiõe p̄ſbyteri. Finito primo verſu. Pontifex ſurgit ſtans verſus ad altare: detecto capite vſq; ad finē hymni. Simili modo faciunt oēs alij. Expleto hymno omnes ſedēt in ſilentio. tunc Pontifex ſedens in ſede predicta cũ mitra. Concilium ſeu Synodũ his verbis alloquitur ſi velit. poterit tamē huiuſmodi allocutionẽ obmittere: et q̄ eius loco ſi placebit: p aliquem doctum idoneũ de his que in allocutione continentur: ⁊ alijs oportunis ſermo fiat cõmittere.

Uenerabiles ⁊ dilectiſſimi fratres. Cõuenit vt ea q̃ eccleſiaſticis officijs ⁊ ſacerdotalibus gradibus: vel etiã canoniciſ ſanctionib⁹: ꝓpter diuerſas occupationes: aut qđ negare nõ poſſumus: propter noſtrã aliorũq; deſidiã nõ tam pleniter vt oporteret

executa ſunt: omniū veſtrum vnanimi ꝯſenſu et voluntate requirant̄: ⁊ humiliter coꝛam charitate veſtra recitent̄: et q̄ condigna ſunt emendatione ad melioꝛē ſtatum auxiliante domino deducant̄: ⁊ cui foꝛtaſſe aliquid diſplicet: qꝺ digeſtuꝫ eſt charitati veſtre: oī benignitate et modeſtia intimare non differat: quatenus totum qꝺ noſtra Pꝛouinciali ſeu Synodali cōuentiōe ſiue conſtitutione ſtatutū fuerit vel renouatū: abſqꝫ omni contrarietate: concoꝛdia ſancte pacis: ab omnibꝰ eque cuſtodiatur ac teneatur: ad augmentuꝫ eterne beatitudinis omniū noſtrū. Poſt hec leguntur Cōſtitutiones ſi que ſint per Conciliuꝫ ſeu Synodum appꝛobāde: quibꝰ lectis ⁊ per patres ſi placet ꝯfirmatis: ac omnibus terminatis. Pontifex ſedens cum mitra: omniū oꝛationibus ſe cōmēdat. Deinde legūtur nomina omniū: qui Concilio ſeu Synodo intereſſe debent: ⁊ p̄ſentes ad ſua nomina ſurgunt: ⁊ reſpondent. Adſum. Abſentes vero notant̄: ⁊ per pontificem debita pena mulctant̄. Demū Pōtifex adhuc in ſede p̄dicta cū mitra ſedens ſi placet congregatos admonet et exhoꝛtat̄ ſub hmōi verbis.

Fratres cariſſimi conſacerdotes ⁊ coopatoꝛes nr̄i. Nouit fraternitaſ veſtra nos licet indignos locum tenere Aaron. vos autem Eleazari ⁊ Ithamari. Nos fūgi vice. xij. apoſtoloꝛuꝫ. vos autē. lxxij. diſcipuloꝛum. Nos paſtoꝛes veſtros eſſe. vos autē animarū vobis cōmiſſaruꝫ. Nos de vobis. vos autē de plebibus vobis cōmendatis domino noſtro Jeſu xp̄o rationeꝫ eſſe reddituros. Igit̄ vt in die tremēdi iudicij inter bonos diſpēſatoꝛes iueniamur: admonemus ⁊ obſecramus fraternitatem veſtrā: vt vita ⁊ conuerſatio veſtra ſit irrepꝛehenſibilis. ¶ In domibꝰ veſtris mulieres non cohabitent. ¶ Omni nocte ad nocturnas hoꝛas ſurgite. ¶ Officiuꝫ veſtrū hoꝛis certis decantate. ¶ Miſſam ieiuni tm̄: et nō in veſtibꝰ cōmunibꝰ: ſed ſacris: Amictu: alba: cingulo: manipulo: ſtola ⁊ caſula veſtimentis nitidis que ad alios vſus nō ſeruiant parati: deuote et religioſe celebꝛate ⁊ in ea coꝛpus ⁊ ſanguinem domini noſtri Jeſu xp̄i cum omni reuerētia ⁊ tremoꝛe ſumite. ¶ Coꝛpoꝛalia ⁊ palle et lino fieri debent ⁊ ſint mūdiſſima: que et

alia linthea ac vaſa ſacra pro-
prijs manib⁹ abluite et exter-
gite diligēter. ¶ Altare ſit co-
opertū mūdis lintheis ſaltē
tribus diuerſis: ad qđ nulla
mulier accedat. Et deſuꝑ ni-
hil ponat̄ niſi reliquie: ac res
ſacre ⁊ ꝓ ſacrificio oportune.
¶ Miſſalia. Gradalia. Lectio
naria ⁊ Antiphonaria veſtra
ſint completa ⁊ perfecta.
¶ Eccleſie veſtre bene ſint co
operte et munde. ¶ In ſacri-
ſtijs ſiue ſecretarijſ aut iuxta
altare maius ſit locus aptus
ad infundendū aquā ablutio
nis corporaliū ⁊ lintheorum
vaſorū: ⁊ aliarū rerum ſacra-
rū: ac manuū poſtq̄z ſanctuz
chriſma aut oleuz cathecumi-
norū vel infirmorū tractraue-
ritis. Ibiqz pendeat vas cum
aqua mūda pro lauandis ma
nibus ſacerdotū ⁊ alioꝝ qui
rem ſanctā ⁊ officiū diuinum
ſunt pacturi: ⁊ prope lintheū
mundū ad illas abſtergendū
¶ Atria eccleſie ſint bene mu-
nita. ¶ Nullus ſine ſcitu ⁊ cō
ſenſu noſtro per poteſtatē ſe
cularem eccleſiam obtineat.
¶ Nullus eccleſiaz ad quā in-
titulat⁹ eſt dimittat: ⁊ ad aliā
queſtus gratia ſe transferat.
¶ Nullus plures eccleſias ſi
ne titulo ⁊ contra ſacrorū ca
nonū diſpoſitiones nanciſci

preſumat. ¶ Nulla tn̄ etiam
vna eccleſia inter plures diui
datur. ¶ Null⁹ extra eccleſiaz
in locis nō cōſecratis aut cal
caribus indut⁹: vel cultellis
extra pendentibus celebret.
¶ Null⁹ alteri⁹ parrochianuz
niſi itinerantē: ⁊ tūc de recto-
ris ſui licētia ad cōmunionez
recipiat. ¶ Nullus ī alterius
parrochia abſqz ꝓprij ſacer-
dotis licentia miſſaz celebret
¶ In celebratione quiſqz cali
cem ⁊ oblata non circulo aut
digitorū vacillatione vt qui
dam faciūt: ſed iūctis ⁊ exten
ſis digitis cruce ſignet: ſicqz
benedicat. ¶ Calix et patena
ſint aurei vel argētei: nō erei
aut auricalchei: vitrij vel lig-
nei. ¶ Quiſqz pbr̄ clericū ha-
beat vl' ſcolarē qui cū eo pſal-
mos cantet. Epiſtolā. lectio-
nem legat: et in miſſa reſpon-
deat. ¶ Ipſe quoqz pbr̄ infir-
mos viſitet ⁊ recōciliet: ⁊ iux
ta Aplm̄ ꝓpria manu cōmu-
nicet ⁊ oleo ſancto inungat.
¶ Nullus p̄ſumat tradere cō
munionē laico aut femine ad
ferenduz infirmo. ¶ Null⁹ ꝓ
baptizandis infantibus ſiue
adultis aut infirmis reconci
liandis: aut mortuis ſepeliē-
dis premiū vel mun⁹ exigat.
¶ Per negligētiā veſtrā nul-
lus infans ſine baptiſmo: et

adultus ſine cõmunione pe-
reat. ¶ Nullꝰ veſtrũ ſit ebrio-
ſus aut litigioſus. ¶ Nullus
arma ferat. ¶ Nullus canum
aut auiũ iocis inſeruiat: ſeu ĩ
tabernis bibat. ¶ Quiſqꝫ ve-
ſtrum quantũ ſapit de Euan
gelio dñico ꝛ ceteris feſtiuis
diebus ſue plebi annunciet.
¶ Verbum domini ꝑdicate.
¶ Curaꝫ pauperũ peregrino-
rum: viduarũ: et orphanorũ
habete: ipſoſqꝫ ꝑegrinos ad
prandium veſtrum vocate.
¶ Eſtote hoſpitales: alijs ex-
inde bonũ exẽplũ ꝓhibẽtes.
¶ Singulis diebꝰ dñicis an-
te Miſſam aquã qua populꝰ
aſpergat̃ bñdicite: ad qđ vas
propriũ habetote. ¶ Vaſa ſa-
cra ꝛ veſtimenta ſacerdotalia
nolite negociatori aut taber-
nario in pignus dare. ¶ Mi-
nus digne penitentem cuiuſ-
cunqꝫ rei gratia ad recõcilia-
tionẽ nõ adducite: nec ei recõ
ciliatiõis teſtioniũ ꝓhibete.
¶ Vſuras non exigite. ¶ Nec
facultates veſtras poſt ordi
nationẽ veſtraꝫ acqſitas alie-
nate: qm̃ eccleſie ſunt. ¶ Nul-
lus etiã res: poſſeſſiones aut
mancipiũ eccleſie vendere: cõ
mutare: aut quocũqꝫ igenio
preſumat alienare. ¶ Nullus
decimam alterius recipiat.
¶ Nullꝰ penitentẽ: carnẽ man
ducare aut vinũ bibere ĩuitet
niſi pro eo tunc elemoſynã fe
cerit. ¶ Quiſqꝫ fontes baptiſ
males lapideos habeat bene
mundos: quos ſi habere nõ
poterit vas aliud ad hoc opꝰ
ſolum deputatum teneat.
¶ Omnibꝰ parrochianis ve-
ſtris ſimbolũ ꝛ orationẽ dñi
cam et ieiunia quatuor tẽpo-
rum ꝛ alia eccleſie mãdata ſi-
gnificate obſeruãda. ¶ Ante
quadrageſimam quarta feria
populũ ad cõfeſſionẽ admo-
nete: ꝛ cõfeſſis iuxta qualita-
tẽ criminũ penitentiã ĩiũgite
¶ Tribus tẽporibꝰ in ãno id
eſt Natalis dñi: Paſce: ꝛ Pen-
thecoſtes oẽs fideles accedẽ
ad cõmunionẽ corporis dñi
noſtri Jeſu xp̃i inuitate: et ne
deſit quin ſaltem in paſca cõ
municent. ¶ Certis tẽporibꝰ
coniugatos ab vxoribꝰ abſti
nere exhortemini. ¶ Nullꝰ ve
ſtrum rubeis aut viridibꝰ ve
ſtibꝰ vtat̃. ¶ Diem dñicã ꝛ ce
teras feſtiuitates abſqꝫ ope-
re ſeruili a veſpa ad veſperaꝫ
celebrari docete. ¶ Cantus ꝛ
choreas mulierũ ĩ atrio eccle
ſie fieri ꝓhibete. ¶ Incãtatio
nes ſup mortuos nocturnis
temporibꝰ a vulgo fieri ꝯſue-
tas ſub cõteſtatiõe dei oĩpo-
tentis vetate. ¶ Cũ excõmu-
nicatis nolite cõmunicare.